



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XIV. De Petri Apostoli praesentia Romae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XIV.

DE

*Petri Apostoli presentia  
Romæ.*

**A**N Petrus fuerit Romæ sub iudice  
lis est. Scribit superioris ævi  
Poeta Anglicus, ingenii acu-  
mine, quam religione clarior.  
Verum quicunque Sanctorum  
Patrum monumenta, aliorumve Historico-  
rum & veterum Chronologorum lucubra-  
tiones pervolvit, nullam prorsus liti con-  
tentionem reperiet: sed omnino convince-  
tur Petrum Apostolorum Principem in Urbe  
fuisse, prædicasse, atque ibidem pro Chri-  
sti nomine, unâ cum Co-Apostolo Paulo;  
sub Neronis Imperio Martyrium subisse,  
quando Cruci tandem pedibus sursum, ca-  
pite deorsum pendente, sicut ipse elegerat  
affixus, Paulus verò decollatus fuit eodem  
die: quidquid de hoc aliqui aliter sentiant,  
quibus suppositivus sermo Sancti Augusti-  
ni suffragari non poterit. Et cum, testifican-  
te Cardinale Baronio *Annal. tom. 1. ad an-  
num Christi 44.* nequidem cujusvis perfrictæ  
frontis hæreticus aut schismaticus à cunctis  
retro sæculis ausus fuerit vel leviter contra-

dicere Simonem, qui à Christo fuit vocatus  
Petrus Romæ vixisse, vero verius censeri de-  
bet ejusdem Poetæ in pentametro effatum  
licet in sensu ab Authore non intento.

*S. Simonem Romæ nemo fuisse negat.*

Ea propter materia hujus instituendæ con-  
troversia planè extra controversiam collo-  
canda foret: nisi hodie dum curiosi quidam  
conventu malignantium; quibus, ut  
Empedocles apud Clementem Alexan-  
dri num ait, familiare est velle, quæ sunt verè  
vincere ex eo, quod non credant; litem re-  
clamando intentarent; aut potius, dum in-  
victa, ex alta antiquitate deducta, rejiciunt  
& in fronte contemnunt; Andabatarum  
more pugnare vellent. Interdum quidem  
præstat ad gloriam non certare, quam vinci-  
cere, ut rectè arbitratur Calpurnius Flaccus  
*controv. 25.* Sed ne hujus certaminis de-  
clinatio formidolosæ diffidentia adscribatur  
vel sola traditione pugnaces erunt convin-

ceudi. Præclare siquidem S. Gregorius Nifenus *Oratio 3. contra Eunymium* scribit. *Nemo mihi subcrepet, quod illud etiam, quod à nobis pro confesso habetur, rationibus & argumentis indigeat confirmari & probari: sufficit enim ad nostri argumenti demonstrationem, quod habeamus à Patribus venientem ad nos traditionem veluti hereditatem quandam.* Ea autem traditio de Petro est omnibus numeris absoluta, mansitque ab omnibus retro sæculis integra & inconcussa; quam Apostolicorum virorum testimonio, fama que constante & perpetua stabilitam nemo impugnauerat: donec tandem sæculo decimo quarto exortus est Scriptor Esauinus, ut Petri Blessensis verbo utar, Marsilius Patavinus à Joanne vigesimo secundo Pontifice Maximo in speciali decreto anno 1327. propter schismatica & scandalosa scripta sub nomine *Defensorium Pacis* fulguritus; qui traditionem adeo firmatam, totque clarissimis subnixam testimoniis historiam è veri finibus exterminare tentavit. Hunc plurimum annorum intervallo è Martini Lutheri castris secutus est Ulricus Velenus, qui, quemadmodum Sanctus Hieronymus in *Epist. 141.* de alio quodam scribit. *Longam ingrediens disputationem, tanta operositate, quod volebat intelligi, usus est persuadendi, quanta semper falsitas indiget, ut vera videatur:* cumque involuminis à se compositi sine subjungat: se certum esse, quod ob hoc opus immarcescibilis coronæ præmium à Deo sit sibi obventurum, ominatur Bellarminus, si mendacia coronentur à Deo, splendidissimam coronam Velenus sine dubio accepturum. Redargui hi fuerunt à Gregorio Cortelio ex Monacho Caslinensi S. R. E. Cardinale, aliisque bene multis. Nihilo Secius Sebastianus Francus Guilelmus Witte-Kenus, Claudius Saumaisius, Frid. Spanheimius *dissert. de temerè credita Petri in Urbem Romanam profectio*, validè refutatus à Caveo in *Antiq. Apostolicis*, & quidam pauci ejus-

dem commatis antiquitati venerandæ adversa fronte occurrere nisi fuerunt. Hi tamen ut Canus *Lib. 6.* advertebat. existimandi non sunt, quod verbis negant, id mente sentire, nisi pueri & pueri stulti credantur. Tales, ne habeantur, frivola quædam opponunt.

I. S. Lucas, qui singulari industria Petri gesta annotavit, nullam alicubi facit mentionem, quod is Romam tendere voluerit, multo minus, quod ibi prædicaverit. Imo ex *Act. Apost.* contrarium eruitur, quando Petri facta in Judæa ac finitimis regionibus enarrat. Hæc legenti occurret, quomodo Petrus in Urbibus maritimis prædicaverit, Lydæ Æneam sanaverit, Joppæ Tabytham resuscitaverit, in Cæsarea Cornelium centurionem baptizaverit, miracula patraverit, aliaque multa peregerit, sic, ut Romæ esse non potuerit. Deinde Paulus captivus *Act. cap. 28.* Romam veniens, cum fratres illi occurrissent, Petrum non habuit obvium. Ad Romanos Epistolam scribens in eadem Andronicum, Juniam, Rufum aliosque notos salvere jubens, Petri, ut fieri debuit, non meminit. Neque Romæ ad Ephesios scribens illius mentionem facit, cum tamen Pauli fuerit perpetua consuetudo, ut Collegarum suorum nomine fideles, ad quos literas exarabat, salutarer. Ita in Epistola ad Colossenses ex Romano carcere conscripta, & per Tychicum ac Onesimum missa *cap. ultimo* subjungit *Salutat vos Aristarchus captivus meus & Marcus consobrinus Barnabæ, & Jesus, qui dicitur Justus. Hi solum sunt adjutores mei in Regno Dei.* Rursum *2. ad Tim. 4.* *In prima mea defensione nemo mihi adstuit: sed omnes me dereliquerunt.* Igitur vel Apostolus Paulus nescivit Petrum tunc Romæ fuisse; aut hic Coapostolum suum propudiose reliquit.

Super omnia hæc non minimum injicit scrupulum Taciti, Suetonii Dionys. aliorumque profanorum scriptorum universale silen-

silentium, qui suorum temporum gesta, atque ea, quæ sub primis Imperatoribus contigerant satis accuratè observârunt: nunquam tamen de Petri Adventu in urbem, aut ejusdem inibi prædicatione, seu novæ per ipsum religionis introductione quidquam perhibuerunt.

II. Paulus ad Galatas scribens *cap. 2.* notum facit sibi esse conceditum Evangelium Præputii, Petro autem circumcisionis. Item quomodo pactus fuerit cum Jacobo Petro & Joanne in Synodo Hierosolymitana super legalium observatione habita, ut illi in circumcisionem, id est, Judæam; ipse verò inter Gentes cum Barnaba prædicaturus proficiscerentur. Fuit itaque Paulus Doctor Gentium etiam specialiter à Deo deputatus, qui Ananiam ad eum misit *Act. cap. 9.* dicendo. *Vade quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus.* Dum interim Petro fors obvenisset, ut Judæis Evangelium annuntiaret; & Romæ nulli Judæi extarent, quippe vivente Claudio Imperatore omnes expulsi; non est verisimile, quod Romam tenderit, & immemor pacti, sui que muneris, alienum, quod ajunt, fundum coluerit, proprium dereliquerit. Quodsi autem quidam forsitan Judæi aut ibidem clanculo delituerint, aut defuncto Imperatore Claudio illuc reverti fuissent; cum his Petro nullum negotium intercessisse, vel ex eo manifestè colligere licet, quod, Paulo Romam veniente, & post tertium diem primos Judæorum convocante, *Act. capite ultimo* dixerint ad eum Judæi. *De Secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Rogaverunt proinde Apostolum ab eo ipso audire, quid tandem sentiret. Cum constituisset autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi. Hos prolixè Paulus instruxit, testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex Lege Moyli & Prophetis à mane usque ad vesperam, Ex Judæis his aliqui iis, quæ

dicebantur, crediderunt: nonnulli verò, durioris cervicis, credere detrectabant, quia hujusmodi à nemine antea sibi credenda proponi audiverant. Quare ad invicem tumultuabantur, & agitabant multum inter se quæstionem. Nemo ergo facilè conjiciet, quid Petrus tanto temporis intervallo in Urbe egisset, si Judæos sibi conceditos Evangelii luce non imbuerit, quibus hucusque ignorantibus, ea, quæ à Paulo prædicante perceperant, paradoxa videbantur.

III. Qui in primitiva Ecclesia scripserunt, aut expressè referunt, aut indicant Petrum Romæ non fuisse. Clemens Rom. *Lib. 1. recogn.* scribit Barnabam Apostolum, tempore Tiberii Cæs. Romæ fuisse & Christi Evangelium prædicasse, ibidemque Christianos extitisse. Idem prodit Tertullianus in *Apolog.* Item Orosius *Lib. 7. hist. cap. 4.* perhibet, quod Tiberius cum suffragio magni favoris retulerit, ut Jesus Christus Deus haberetur: quodque Senatus gravi indignatione commotus; eo, quod sibi non prius de more delatum, quatenus de cultu suscipiendò discerneret, Apotheosin hanc reculaverit; edicto que statuerit, exterminandos esse Urbe Christianos. Denique Dorotheus in *Synops. in vita Discipul.* meminit Barnabam primum fuisse Evangelii præconem Romæ.

IV. Vulgaris est opinio quod Petrus Romæ annis 25. federit. Ast quia ex Eusebii Chronico liquet, illum Antiochiæ totidem annis Ecclesiæ præfuisse; fidem excedit, tot annis Romæ extitisse: præsertim si de Petri provectiore ætate: dum ad Apostolatam fuit assumptus, referri solita, Authores consentiant. Hi inter se discrepant, num ante vel post à Petro erectam Antiochiæ sedem, Romana fuerit stabilita. Deinde Sacra Scriptura testis est, quod Petrus post Christi ascensionem reliquo tempore vitæ suæ Jerosolymis vixerit; ergo non Romæ. Siquidem Paulus eundem reperit Jerosolymis, quando

triennio post suam conversionem illuc profectus fuit, ut ipsum videret: apud quem etiam diebus quindecim mansit. *Ad Galat. cap. 11.* Rursus post annos 14. Paulus Jerosolymam veniens, ut quaestio de circumcissione Gentium decideretur, reperit ibidem Petrum, qui fuit dux verbi in Concilio. *Ad Gal. 2. Act. 15.* Itaque fuit Petrus annis 17. ad minimum Jerosolymis, atque adeo non potuit sedisse Romae annis 25.

V. Ipsa discrepantia valde notabilis, quae passim de Petri itinere Romano, Adventu, mora, tempore, aliisque circumstantiis ex Authoribus observatur, fabellam redarguit. Orosius enim vult anno Christi 42. seu Claudii Imp. primo, Hieronymus secundo, alii tertio, seu quarto Petrum Romam venisse. Sunt, qui scribunt illum cum pluribus sociis Antiochia profectum, Urbem intrasse, quorum aliqui non nisi post Apostoli mortem vixerunt. Quibusdam placet Neapolim navigio appulisse: ac vi ventorum Liburnum, inde Pisas prius delatum, tandem Romam pervenisse. Nonnulli praetendunt itinere pedestri illuc tendisse, & Alinum ad Marcum suum gentilem divertisse. Addunt quidam hoc iter jussu Domini Jesu Christi aggressum ad confundendum Simonem Magum: & ut Author est Metaphrastes, anno 2. Claudii ingressum, hunc Simonem statim in terram prostrasse: cum tamen ad tempora Neronis hoc referant Philastrius, Severus, Hegesippus; imo inficientur unquam contigisse aliqui non infimae classis scriptores.

Sanctum Petrum Apostolorum Principem Romam venisse, Jesu Christi Salvatoris nomen, fidem, cultumque, salutari praedicatione, sequentibus signis, Populo Romano annuntiasse; Ecclesiam ibidem fundasse, tandem Cruci affixum Martyrium subiisse, testes suppetunt omnium saeculorum & Gentium locupletissimi.

I. Petrus ipsemet perhibet sese in Urbe priorem Epistolam scripsisse: Dum in fine

illius subjungit. *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone coelecta*, vel ut alii Textus habent *colecta*. Quotquot autem in illam Epistolam primis etiam saeculis, commentati sunt, per Babylonem intelligi Romam concorditer tradunt, testibus S. Dionysio Carthusiano, Ribera, Viega, Peterio Alcazar in hunc locum, & *Apoc. 17.* Et quidem Papias apud Eusebium *Lib. 2. Hist. Eccles. cap. 15.* *Quod Petrus in prima Epistola sua, quam de Urbe Roma scripsit, meminit Marci, in qua tropice Babylonem vocat Romam. Cum dicit: Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone.* Observat autem hic Venerabilis Beda, & ante eum insinuavit S. Hieronymus de *Scriptor. Eccles.* quod Roma vocetur Babylon, ob nominis interpretationem, quia Babylon interpretatur. *Confusio & in Roma fuit vitiorum omniumque idololatriarum confusio.* Omnium siquidem deorum colebant Romani portenta atque, ut asserit Leo Papa, *serm. 1. in Natal. Apostol. Roma cum paene omnibus dominaretur Gentibus omnium Gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem; quia nullam respuerat falsitatem.* Praeterea Urbs illa Babylon dicitur, propter conformitatem. Quemadmodum enim Babylon Chaldaica fuit suo tempore civitas possidens Monarchiam, valde ampla ac idolis plena, in qua exigua fuit congregatio Israeliticae plebis, illuc translata: sic Roma, tempore conscriptionis hujus Epistolae, fuit Metropolis mundi civitasque Monarchica, idololatriis referata; in qua adhuc modica fuerat fidelium congregatio. Bene etiam Sanctus Apostolus, dum electos dispersos ad tolerantiam adversitatum praesentium hortatur, adducit Ecclesiam, quae solum est in Babylone coelecta ac in tribulatione confusionum constituta. Denique mirum videtur, quod nonnulli ex Protestantibus negare audeant, Romam designari per Babylonem, cum tamen omnes admittant, in Apocalypsi Romam

vocari Babylonem, quæ est civitas magna, sedens supra septem montes, & habet imperium supra Reges terræ. Imo Centuriatores ea potissimum de causa Apocalypsin recipiunt in numerum divinatorum Librorum, quod in ea multa adversus Romam sub nomine Babylonis dicantur. S. Joannem sub nomine Babylonis de Roma agere testatur Tertullianus *adv. Judæos cap. 9.* & *contra Marcionem Lib. 3. cap. 13.* Accedit Augustinus, qui, *Lib. 18. de Civitate Dei cap. 22.* scribit. *Condita est Roma velut altera Babylon.* Huc facit locus Sancti Hieronymi in *præfat. de Spiritu Sancto*, ubi de sua mora observat. *Cum in Babylone versarer & purpurata meretricis essem colonus &c.* Illi autem, qui Romam hinc intelligi negant, instruantur ex Rufino, qui *Lib. 2. invecitiva*, hoc dictum Hieronymi reprehendens, observat abusivè Romam sic vocatam. *Ex qua præfatione, inquit, videatis quomodo de urbe Roma, Deo favente, capite Christianorum, ea dicit, quæ dicebantur tunc, cum gentiles in eo populi & persecutores Principes morabantur.* Sic passim Babylonis nomine venit Roma in aliorum Scriptorum Libris, Epistolis, ipsis etiam Græcorum Scholiis ad locum Petri citatum: adeo ut versatissimus Valesius in *annot. ad Eusebium* verè scripserit. *Sunt, qui in dicta Petri Epistola Babylonis nomine non Romam, sed Babylonem ipsam, quæ caput fuit Assyriorum designare contendunt: verum hi omnium veterum Patrum testimonio refelluntur.* Si S. Joanni Urbem illam sic licuit nominare; cur id non licuit etiam Petro, Synchrono Joanni?

Quæ, cum ita sint, Patrum potius auctoritas prævalere debet, nullaque habenda ratio tabularum quorundam, qui pro doctissimis haberi volunt, quod certissimam quæque in dubium vocare, & paradoxis suis enervare noverint; præsertim quando Sedem Pontificiam inde concuti inaniter per-

suatum habent: interim aërem verberantes, & muscæ Æsopicæ, sedenti in clavo rotæ perfimiles exclamando. *Quantum pulverem ego excito!* Liceat hos malè feriatos interpellare verbis Optati Milevitani. *Lib. 6. Adv. Donatistas. Quæ est ista nova & stulta sapientia novitatem quarere in visceribus veterustatis.* Videri possêt Illustrissimus Archiepiscopus Parisinus Petrus de Marca cornicum oculos voluisse configere, quomodo Cicero pro *Murana* loquitur, dum *Lib. 6. Concord. cap. 1. n. 4.* hæc literis mandat. *Tametsi enim veteres existimaverint Divum Petrum Urbem Romanam, probabilis est Scaligeri conjectura, qui ex ipsa Babylone scriptam à Petro putat Epistolam istam ad Judæos dispersos, qui habitabant in Provinciis, quarum Synagoga pendebant à Patriarchatu Babylonicis.*

Recentiores, qui Babylonem in propria significatione prætendunt sumendam, non conveniunt inter se, quæ tandem sit illa civitas Babylon, & in qua orbis Regione, seu provincia situata sit. Quidam ex iis auctumant, quod sit Babylon, de qua Josephus *Lib. 2. Antiquit. cap. 5.* refert; quod, Cambyse Ægyptum vastante, fuerit condita: obscuri quidem nominis oppidum. In eo si Ecclesia ab ipso Apostolorum Principibus fundata fuisset; utique sede Episcopali condecorata, Apostolicisque Ecclesiis adnumerata fuisset. Ast in primorum sæculorum monumentis, aut priscorum scriptis, nullo hæc sedes reperitur vestigio. Cardinalis Baronius in *Annal. ad annum 45. num. 17.* non nisi post annos quingentos primum Babylonem in Ægypto Episcopum nominatum adstruit. Sunt tamen, qui in Synodo Generali Chalcedonenſi Anno 451. contra Eutychetem & Dioscorum, celebrata, observant, quendam Cyrum Ægypticæ Babylonem Episcopum. Porro observat Dominicus Marius Niger in *Geoph. com. 3.* quæ multo-

rum est opinio, Babylonem nunc Cairum dici, totius Ægypti Metropolim, quæ in partes tres divisa; quarum media Cairus, dextra Bubacus, sinistra Babylon dicitur.

Fuit & alia urbs longè celeberrima, apud Euphratem fluvium structa à Nemrod seu Belo Rege Assyriorum, à Nino filio exornata, quam Semiramis muro cinxit quamque Nabonassar Princeps sub Nabucodonosore Rege ampliavit: sic dicta à Regione, in qua jacet, quam Hebræi, propter linguarum confusionem in ædificatione turris subortam, Babel vocaverunt. Occupata demum à Cyro: Annis 537. ante æram Christianam funditus destructa fuit: adeoque, quo loco fuerit hodieum vix sciri potest. Bodinus & Sabellicus perperam hanc urbem confundunt cum Sula; alii cum Bagdat, Asiæ Urbe ad Tygrin; quanquam Authores fide digni perhibeant, quod quindecim Leucis distantia etiamnum videantur rudera ad ripam Euphratis, ubi olim Babylonia fuisse creditur. In hac civitate, cujus frequentissimè in Sacra Scriptura fit mentio, dicunt aliqui fuisse Judæorum immensam multitudinem, quos sub Petrinum Apostolorum cecidisse certum exploratumque esse volunt. Atque in hac Assyriaca Babylone Petrum Apostolum priorem suam Epistolam scripsisse putant, Beza, Viretus, Sadulius &c. Quare dum subjungit. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone.* De hac intelligi volunt. Verum ex Josepho constat, Caji Imperatoris tempore, quo dirissimam sortem Judæi, tam Alexandrini, quam Palæstini subierunt, eos, qui in Babylone Assyriæ fuerant, expulsos, & trucidatos fuisse. Civitatis verò, præter nomen, muros & sparsa domicilia, ruderaque vix remansisse aliquid.

Huic occurrit *Annalium Politico-Ecclesiasticorum* Author modernus plerumque inclinans in sententias, receptis oppositas, qui gloriam in ea re quærit; ut habeat, quod

oppugnet; atque ad annum Christi 46. nu. 28. vult liquidò constare, in Babylone multos eo tempore, quo Petrus scripsit, degisse Judæos. *Cum enim*, inquit, *imperante Augusto noverimus ex Josepho, magnam in ea civitate fuisse Judæorum frequentiam; habetne fidem, aut nulla imperante Claudio, ex tanta Gentis Judaica multitudine aut exigua superfuisse vestigia.* Imo verò fidem habet; & Sacra Scriptura fidem exigat, quæ refert Prophetarum de exterminio Babylonis cetera præfagia. De eadem Babylone Jeremias cap. 50. v. 39. *Propterea habitabunt Dracones cum faunis ficarius, & habitabunt in ea Struthiones; & non inhabitabitur ultra, usque in sempiternum: nec exstructur usque ad generationem & generationem.* v. 40. *Sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrhã, & vicinias ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.* Quod vaticinium ante Christi Nativitatem fuisse adimpletum, restantur innumeri. Insistendo tamen suæ opinioni cerebrosa, prosequitur Author. *Cum præcipuè ea solitudo, quam Chaldaicam invasisse Babylonem memorant, ex hostili clade orta non fuerit: sed ex Seleucia vicinitate.* Verum hæc ratio est præceps aberratio. Nam etsi Seleucus Nicator conditâ prope Babylonem Seleucia, exhauserit illam civibus, & opibus; eosque transtulerit Seleuciam: multò magis tamen desolata fuit, quando rebellans Dario Hytaspis ab eo mœnibus spoliata fuit, quod referunt Herodot. *Lib. 3.* & Justinus *Lib. 1.* Quod præterea etiam atque etiam observandum duxit recens ille Annalista de nihilo est. *Scilicet post cladem defunctis Asmao & Antiocho Judæis insistentem, Judæos adhuc complures constituisse Babylone, quod Baronii fugit solertiam.* Sexto autem anno peste apud Babylonem grassante denuo inde migratum est (Joseph.) *Lib. 18. cap. 12.* Hoc enim commodè intelligi potest & debet de Seleucia, quæ erat apud Babylonem intra nonagesimum

inum Lapidem, quæ tamen Babylonia cognominabatur apud Plinium *Lib. 6. cap. 26.* De ipsa vero Babylonia compertum est ex *Lib. 8.* Pausaniæ, sæculi secundi historici, qui immeritò habitus fuit à Scaligero Impostor, egregiè vindicatus à Vossio. *Babylon*, ait, *omnium, quas unquam sol vidit, urbium maxima, jam nihil præter muros reliqui habet.* Frustra demum urget præfatus Annalium Scriptor. *Ni ergo assignentur, qui post Augusti aut Claudii tempora, Babylone penitus destruxerit, antequam Adriani Imperii fasces capessivit, quæ præceduntur falsa sunt.* Postquam igitur hujuscemodi morbi vis deseruit, non est ponendum in dubio, quin Judæorum bene multi, Selenciæ relicta, antiquam patriam Babyloniæ repetierint, in qua sua prædia erant, domus atque horti. Hæc quomodo cum Pausaniæ verbis, aliorumque contrariis testimoniis conciliari queant, viderit ipse domo & patriâ profugus Historicus. Frustra etiam suæ adfiscit causæ prostatam magnum illum Scaligerum; complures adhuc, Claudio Imperante in Assyriacâ Babylone degisse Judæos, quod illorum Patriarcha adhuc ibi consisteret, cujus in *Euseb.* verba sunt. *Ex masculini generis posteritate Davidis semper Echimolotarchi creati sunt Babylone, quamdiu illa urbs stetit, usque ad annum Christi septingentesimum à Salathiel usque.* Manifestè siquidem refellitur à S. Hieronymo; cui major quàm Scaligero habenda fides; cum Theodosii Imperatoris tempore in *Isaiæ cap. 13.* scribens, testetur venationes tantùm regias esse Babylone, & omnis generis bestias solùm murorum ejus ambitu coerceri.

Quod autem tantopere ab aliis etiam urgeri solet, cur Petrus locum, in quo Epistolam scripsit, alio nomine inimare voluerit, nequaquam premit. Non enim omnium, quæ certò facta esse constat, cur sic, vel sic, facta sint, rationem reddere possumus, aut debemus. *Virgil. in Ætna.*

*Et frustra certis disponere singula censis.*

Proinde si quis fateretur, se hujus suppressionis causam ignorare: haud eo ipso negare constringetur, quod Petrus Romæ Epistolam illam scripserit. Si quis tamen impetuosis instaret, cur urbs figuratè, & non proprio fuerit nomine expressa; habeat illud Baronii. Petrum noluisse omnibus constare, ubi post liberationem è carcere Hierosolymitano degeret; præsertim cum Imperator Claudius Agrippæ Judæorum Regi, qui Petrum in vinculis tenuerat, moram populo trucidandum, addictus erat, ut ex Josepho non obscurè intelligitur. Voluit ergo Apostolus, dum Romæ degens Judæis dispersis suam moram non intimare, sed tropo uti; sicut Paulus usus fuit scribens se ex ore *Leontis* liberatum, quo Neronem significabat. Noluit Petrus Romanæ urbis nomen explicite signare; ne, si Epistola in manus Gentilium incidisset, Ecclesia ibidem collecta, in odium & periculum induceretur, Authorque in tyrannorum manus cum dispendio Religionis deveniret.

II. Tota antiquitas Patrum Latinorum præriter & Græcorum perpetim asseruit, quod Petrus Romæ vixerit. *S. Irenæus Lib. 3. cap. 1.* scribit. *Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii cum Petro & Paulus Romæ evangelizarent & fundarent Ecclesiam.* *S. Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium Lib. 2. hist. Eccles. cap. 24.* *Petrus & Paulus, cum & nostram Corinthi & vestram Romæ Ecclesiam fundassent, & ejusdem doctrina ac præceptis tum nostram animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter Martyrium subierunt.* Apud eundem quoque *Eusebium Lib. 6. cap. 11.* legendus est *Clemens Alexandrinus*, cujus verba sunt. *Cum Petrus verbum Dei Romæ publicè prædicaret, & Sancti Spiritus Evan-*



*Evangelium Christi exponeret instinctu Sc.*  
 Audiendus etiam Tertullianus contra Gno-  
 sticos in *Scorpione cap. 15. Vitas Caesarum le-*  
*gimus: Orientem fidem Roma primus Nero*  
*cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingi-*  
*tur. Sc.* Consonat apud citatum Eusebium  
*Lib. 3. cap. 1. Origenes in Genes. Petrus*  
*(scribit) circa finem vite Romæ constitutus,*  
*capite dimisso, Cruci affixus est; eo quod ipse*  
*hunc Passionis modum experisset. Huc spe-*  
*ctat illud Cypriani Episcopi & Martyris Lib.*  
*4. Epistol. 2. Cum Fabiani locus, id est,*  
*cum Petri locus & gradus Cathedra Sacerdo-*  
*talis vacasset. Apertè Arnobius in Psal. 106.*  
*In deserto hujus Saculi perambulans Petrus,*  
*quousque perveniret Romam, predicavit ba-*  
*ptismum Christi Jesu. Parmenianum pro-*  
*vocat Optatus Milevitanus Lib. 2. & ait. Ne-*  
*gare non potes, scire te in Urbe Roma Petro*  
*primo Cathedram Episcopalem esse constitu-*  
*ram, in qua sederit omnium Apostolorum ca-*  
*put. Suo quoque calculo idem testatur Atha-*  
*nasius. Apol. de fuga. Consonant Cyrillus,*  
*Hierosolymitanus Catech. 6. Epiphanius he-*  
*ref. 27. Chrylostomus in Psalm. 48. item*  
*homil. 2. in Epist. ad Roman. Eusebius Hist.*  
*Eccles. Lib. 2. cap. 13. & duobus seqq. Pau-*  
*lus Orosius Lib. 6. Histor. cap. 6. Hierony-*  
*mus Epist. ad Damasum, Augustinus contra*  
*Pelagium Lib. 1. c. 2. Sulpitius Lib. 2. Histor.*  
*Maximus Episcopus Homil. in Natali SS.*  
*Apostolorum. Plures in re explorata subse-*  
*quentium sæculorum Scriptores adducere*  
*supervacaneum videtur. Ipsa insuper Con-*  
*ciliorum decreta, Imperatorum Diplomata,*  
*aliaque instrumenta publica plenam fidem*  
*faciunt de traditione à majoribus ad hæc*  
*tempora derivata. Quod si Julium Cæsa-*  
*rem, Neronem, Trajanum, aliosque Ro-*  
*mæ Sceptra tenuisse, prudens nemo in du-*  
*bium vocare audeat, sufficienti veterum Scri-*  
*ptorum convictus testimonio; quis frontem*  
*deponet, ut negare audeat Petrum Romæ*  
*vixisse. Nil ea confidentius, qui, que videt,*

*ea pernegat; ait Plautus Menoechmis 4. sc.*  
*4. v. 51. Ast meritò pervacissimum di-*  
*cemus, qui omnium Scriptorum fidem vel*  
*revincere, vel suspectam habere præsumit,*  
*quos omnes nimæ simplicitatis, oscitantæ,*  
*ignaviæ insimulare, aut jam dum falsæ tra-*  
*ditionis famæ imbutos reprobare; ac, sicut*  
*in quibusdam hallucinati sunt, in eo pariter,*  
*adèdque in omnibus erroris arguere, quæ*  
*bona fide ab Apostolorum coævis horumque*  
*discipulis percepta posteris reliquerunt; sicut*  
*execrabilis est arrogantia: ita omnium retro*  
*Sæculorum historias profanas veris adnu-*  
*merandas pervicacia facilè inficiabitur. Pos-*  
*sent quidem in probationem rei certissimæ*  
*hæc videri superabundare. Sed melius est,*  
*quod Salvianus ait Lib. 1. De gubern. Dei*  
*plus probare aliquid quàm necesse est, quàm*  
*minus fortasse, quàm negotio videtur. At-*  
*que hinc subjungendum.*

III. Ipsa Cathdra lignea Romæ in S. Petri  
 Basilica recondita, à Majoribus asservata,  
 dignum planè hujus rei eximiumque monu-  
 mentum sat validè in animo, præjudiciis li-  
 bero, certitudinem creat, Petrum Romæ  
 fuisse. Consueverunt enim Majores, tanti  
 memores beneficii, quod Apostolica prædi-  
 catione à tenebris, quibus erant offusi, ad  
 lucem planè divinam evecti essent, ipsas  
 etiam Sedes ligneas, quibus Apostoli, ho-  
 rumque discipuli insederunt, summâ om-  
 nium diligentiam cautè custoditos veneratione  
 prosequi, quemadmodum observat Baro-  
 nius *Annal. tom. 1. ad annum Christi 45. nu.*  
*11. Item in Notis ad Martyrol. die 18. Ja-*  
*nuarii id ex Eusebio & aliis probans exem-*  
*plo Ecclesiæ Hierosolymitanæ: quæ licet*  
*tot, tantisque Judæorum casibus fuerit exa-*  
*gitata; Sedem tamen ipsam, cui ipsorum*  
*Episcopus primò insederat, usque ad Con-*  
*stantini Magni tempora integram servârunt*  
*Catholici. Quod idem de Sede Alexandri-*  
*na Divi Marci factum esse constat. Cùm*  
*igitur Petri Sedes Romæ in hodiernum us-*  
 que

que diem, post tot strages, direptiones, & tam frequentes ejusdem Urbis ruinas mirabiliter custodita esset, quæ etiamnum extat; argumento est, quantumcunque varia indicia, eadem tamen levia, in contrarium appareant; Petrum huic Romæ insedisse. *Possemus adhuc copiosius loqui: sed non vult veritas verbis juvari*; ut sapienter scribit Symmachus. *Lib. 9. Epist. 7.* Nullatenus autem labefactatur iis, quæ à Sciolis quibusdam oggeruntur.

Ad Primum Respondetur. Quàm familiare est capitonibus (sic Plautus vocat pertinaces) negare factum, quod in Scripturis non reperitur: tam frivole censerit debet illud argumentum. Non est scriptum, ergo etiam non est factum. A multis hoc, vel illud factum esse negatur, quia non placet, quia adversæ parti decorum, quia palpabili partialitati vim infert &c. &c. Qui in Sacris Literis vel mediocriter est versatus, haud ignorat, Lucam in Apostolorum gestis per multa omisisse, de quibus tamen aliunde constat; & quæ ex Pauli Epistolis aut ex aliorum monumentis habemus. Et quidem Apostolus ille 2. *ad Timoth. cap. 3.* memorat multa se Iconii, ubi degebat, esse passum: & tamen Lucas, dum Paulum Iconii fuisse scribit, quid passus sit, silentio prætermittit, quemadmodum etiam ærumnas, afflictiones & cruciatus, quorum idem Paulus meminit 2. *Cor. 11.* Lucas tacet. Sic nihil de reprehensione Petri, à Paulo facta *ad Galat. 2.* in actis refertur. Quod mirum non esse observat S. Hieronymus *loc. cit.* quandoquidem & alia multa, quæ Paulus sese sustinuisse replicat, historiographi licentiâ prætermiserit: & non esse contrarium, si, quod unus, ob causam, dignum relatu putaverit, alius inter cætera relinquat. De Petro narratur *Act. 9.* quod pertransierit universos. Quis ergo tam hebetis erit ingenil; qui dum Petrum Romæ fuisse intelligat, ibidem adeo firmum hæsisse putet, ut

nunquam illo temporis spatio, alias quoque Provincias, aut convertendas, aut convexas visitaverit; atque ibidem, ut officii sui ratio exposulabat, munia sua exequeretur: dum interea alios Romæ substituisset, qui vicariam gregis curam gererent. Certe Eppiphanius, ubi supra, prodir, quod Petrus cum Romæ domicilium statuisset, Pontum & Bythiniam sæpè visitaverit. Qui etiam si Sophronio credimus, in Hispaniam profectus fuit. Itaque eo tempore, quo Paulus Romam pervenit, Petrus absens erat, & quo eum Ecclesiarum cura trahebat, nunc huc nunc illuc tendebat; quæque stabilendis convenientia videbantur, statuebat. Et si Petrus tunc Romæ fuisset, idque Paulus scivisset, quid verat ipsum prius literas ad Petrum dedisse, ut in illa Epistola, in qua Catholicæ Religionis tam magna & læta tractantur negotia, in salutando specialiter Petro sollicitum esse, vel occupari non fuerit opus? familiare enim est, & in more positum; ut singulares amici, quales erant Ecclesiæ primores, sibi invicem, & privatim scribant Epistolas; in quibus ea complectuntur, quæ vulgò innotescere non capiunt; quod factum fuisse, si tunc Romæ præsentem Petrum Paulus scivit, conjecturare licet. Id si factum non fuerit, omnia tamen salutationis Petri absentiam non arguit. Nam Paulus ad Ephesios, Galatas, Thessalonicenses, Hebræos, qui erant Jerusalem, & ad alias quoque particulas scripsit Ecclesias, in quibus erant constituti Episcopi, & tamen alios subinde salutans nullius Episcopi salutandi facit mentionem. Quod ait ad Timotheum. *Nemo mihi assistit: sed omnes me dereliquerunt.* Loquitur de iis, qui illum apud Cæsarem juvare potuissent, id quod nec à Petro, nec à Luca, sibi tunc præsentem, ut asserit, expectare poterat.

Porro historicorum Ethnicorum silentium de adventu Petri in Urbem, ejusque prædicatio-

carione, nulla potest esse de veritate traditionis suspicandi ratio. Cum enim Christiana Religio, & hujus cultores in minimo ære apud Ethnicos tunc essent; non existimabant operæ pretium, horum gesta perstringere: nisi fortè ea, quæ putabant aut in eorum ignominiam, aut in Romanorum cedere gloriam. Proinde nihil, vel paucissima, in nascentis Ecclesiæ exordio, de iisdem referunt: tantum abest, ut de cujusdam hominis privati gestis quidpiam chartis suis inferre dignati fuissent. Nullius itaque valoris cenferi debet argumentum negativum, fundatum in paucorum silentio de re, quam contestati sunt innumeri alii Scriptores; quorum testimonia, hoc ipso præstantiora ad probandum sunt; quod ea tola, ut Fabius alicubi discurtit, criminibus odii gratiæque vacent. Justissima ergo est Cane censura, quando *Loc. com. Lib. 3. cap. 4.* scribit. *Plerique nostræ hac atate perverse, ne dicam impudenter res; quas esse gestas gravissimi Auctores testati sunt, in dubium vocant. Quodsi idoneas causas, probabilescque redderent; audiendi fortassis essent. Cum verò reddant nullas, contemnendi sunt, ut, qui communem hominum sensum exuerint, judiciorum humanorum potissima instrumenta: hoc est testimonia, rejecerint, vitæ magistram, prudentiæ subsidium, lucem veritatis, historiam neglexerint.*

Ad Secundum. Respondetur: Fuit Petrus Apostolus circumcissionis, & Paulus Gentium; juxta pactum, quod inierant: ut ille scilicet Judæis, hic verò Ethnicis Evangelium prædicaret. Ast perperam id intelligitur, quasi utrique non licerit, ubicunque commodum accedisset, ex Judaismo aut Paganismo educere, qui operam eorum desiderabant: sed ita sumendum, ut præcipua esset Paulo cura Gentium, Petro Judæorum. Alioquin Petrus, circumscriptis sibi quibusdam veluti cancellis, longè inferioris conditionis fuisset, quàm alii Coapo-

stoli, & Christi discipuli; quibus dictum fuit à Domino. *Itē in universum mundum, & prædicare Evangelium omni creaturæ.* Cui non debet contrariari pactum quoddam, quale pro temporum ratione Apostoli inierant. Nonne Paulus ubique Judæorum Synagogas concionaturus ingreditur; & post pactum illud Thessalonicæ Bercæ, Athenis *Act. 17.* Corinthi Ephesi *Act. 18. & 19.* ingressus annuntiat Judæis Christum? Quodsi Petrus circumcissionis Apostolus constitutus erat; & non exiguus circumcisorum numerus Romæ esset: ut liquet ex Authoribus profanis, atque ex capite ultimo Actorum satis colligitur; debuit meritò se illuc conferre, ut his prædicaret; præsertim cum Jacobum Hierosolymis reliquisset, Antiochiæ Evodium, Alexandriam Marcum misisset, Barnabam in Cypro Joannem in Asia esse nosset. Quod dicitur ad Pauli prædicationem, quosdam Judæorum Romæ credidisse, alios hunc Apostolum remisisse; verum est. Sed, quod ob nunquam antea audita tunulus inter eos exortus fuerit, Scriptura non refert. Si enim de hæresi sibi notum dicebant; quomodo inaudita? Et si Romanorum fides, testante Paulo, in universo orbe annuntietur; qua ratione dici potest, quod Judæi Romani de Evangelio nihil sciverint? Veritas sui ipsius vindex est.

Ad Tertium. Respondetur. Quodsi gravior & validior sit decem virorum sententia, quàm rotius multitudinis imperitæ, ut Cicero pro *Planco* dixit; sanè nihil erit, quod pauci imperiti hic obtendunt. Omnes Veteres in hoc conspirant, quod Petrus Romæ fuerit, ibidemque Martyrium subierit: ad eò, ut sine temeritatis nota, quemadmodum supra ostensum, hæc fundatissima veritas impugnari nequeat. Quod quidem explicitè non tradit Clemens, sed neque Paulum Apostolum in urbe interfectum refert: quamvis hoc ab adversariis extra ambituum

biguum constituatur; indicat tamen utrumque Romæ fuisse, quando narrat, quod ibidem ingens multitudo Christianorum morti adjudicata ad Sanctos Apostolos confugerit, quod ipsis præsentibus utique factum fuit. Quod Clemens Petri mortem noverit, verba ipsius exhibent *Epist. ad Corinth.* ubi legitur. *Propter amulationem Petrus non unum aut alterum laborem: sed plures labores sustulit: atque ita Martyrium passus est, & in debitum gloriæ locum ascendit.* Si Petrus non Romæ passus; ubi ergo? Videri poterit Eusebius *H. E. Lib. 2. cap. 24.* ubi hac de re insignia profert testimonia Caji, Dionysii Corinthiorum Episcopi. Cui hæc non sufficiunt, nulla sufficiunt. Ut proinde necesse non sit recurrere ad nova argumenta, quale est illud cujusdam recentioris, quod desumpsit ex Christi vaticinio *Jo. cap. 21.* prædicentis, quod Petrus extendet manus suas alludens ad crucifixionem, quasi illa tantum Romæ, vel in Romana ditione expleri poterit. Certè *Jo. Calvinus*, cunctarum traditionum impugnator antiquarum, velit, nolit, fateri debet Petrum Romæ vixisse *Lib. 4. Inst. cap. 6. §. 15.* Propter *Scriptorum consensum*, ait, *non pugno, quin Petrus Romæ mortuus non fuerit.* Rectè cum *Viringa Seniore Hypoth. Chronol. Sac.* notârunt alii, licet heterodoxi, non posse id negari, quin omnia historiæ fundamenta convellantur: cum vix ulla traditio testes habeat & plures & antiquiores, magisque consentientes, ut post *Samuelem Basnagium*, scribit recentissimus *Historicus Lutheranus Weismannus Scholarcha Stuttgardia* in sua *introductione* citans suum *Bibellum* rectè sentientem *Petrum Romæ fuisse & docuisse largiendum in gratiam tot Patrum, qui id docuerunt.* Habeat ergo hic locum illud *Augustini axioma. De eo dubitare, quod universa per orbem tenet Ecclesia, insolentissima est insania.* In adductis *Clementis Libris Recognitionum*, quantumcunque

eorum exigua sit autoritas, nihil reperitur quod, Petrum Romæ fuisse obstat. *Tertullianus* non scripsit *Tiberii Imp.* tempore Romæ Christianos fuisse: sed potius contrarium. Refert namque *Imperatorera* hunc Senatui exposuisse, quæ de Christo à *Pilato* acceperat transcripta. Quodsi Christiani Romæ tunc fuissent, minimè opus fuisset hanc rem, ut incognitam, & prius à *Pilato* relatum, proferre, jam enim Christi nomen & facta innotuissent. *Orosius*, *Tertullianum* secutus, addit à *Senatu Romano* emanatum *Decretum*, ut omnes Christiani urbe exterminarentur: non, qui tunc erant, sed qui imposterum deprehenderentur, qui, ut idem *Author* asserit, post prædicationem *Apostoli Petri* esse cœperunt. Quæ ex *Synopsi Dorothei* depromuntur, etiamsi essent alicujus valoris, nihil tamen proflus veritas officiant.

Ad Quartum. Respondetur. In *Eusebio Chronicon* mendum irrepsisse certissimum est. Constat siquidem ipsiusmet testimonio Petrum annis septem *Antiochiæ* sedisse; idque *Damasus*, *Gregorius* aliique tradunt, quos septem annos *Onuphrius de Prim. Pet. p. 3. cap. 1.* cum aliis quibusdam sentit, intra numerum annorum viginti quinque includendos, quibus Petrus Romæ sedit. Alii communis sententia est, teste *Baronio*, quod Petrus anno septimo in *Cathedra Antiochena* expleto, anno *Claudii Imperatoris* secundo, seu æræ Christianæ 43. Romam profectus fuerit: Et quæ in contrarium et *Scriptura* depromuntur, nil obstant. Licet enim Petrus tertio anno, item post annos quatuordecim *Jerosolymis* fuerit: haud tamen bene inferitur. Ergo neque *Antiochia* neque *Romæ* fuit unquam. Non enim *Urbis* portæ nocte diuque obleratæ, nec via præclusa, quo minus Romæ *Antiochiam*, & *Jerosolymam* ire possent. Neque asserimus, verba sunt *Natalis Alexandri Hist. Eccles. Sac. 1. dissert. Petrum Romana Ecclesia* quæ

quasi Prometheum Caucasus, ita alligatum fuisse, ut nunquam exiret: Sed ita potius in Apostolica Cathedra ibi erecta, ac singularis Episcopatus collocata Sede vicariis relictis, varias in Orbis partes ac Provincias, prout Spiritus Sanctus impulerat, profectus sit. Ahi Apostoli totum mundum peragrarunt: Petrus stabilita Sede, tum Antiochiæ, tum Romæ, Jerosolimam appulit, quo è remotis pariter locis Paulus venit.

Ad Quintum Respondetur. Plumbeum esse pugionem, quomodo argumentum invalidum vocat Cicero *Lib. 4. de Finibus.* Quando de ipsa re & veritatis subsistentia constat, sicut in præsentiarum nil refert, si in aliquibus circumstantiis quædam reperiatur discrepantia. Pleraqueque historiæ sunt laciniosæ,

*Mixtaque cum veris passim commenta vagantur. Ovid. 12. Met.*

Nontamen propterea omninò rejiciendæ. Quo anno mundi sit Christus natus, in tantum discrepant Authores, ut vix duo conveniant. Ingens quoque est historicorum diversificatio, quo ætatis anno, sub quibus Consulibus Romanis Salvator fuerit Cruci affixus. E quibus positivè aliquid velle statuere, nil aliud foret, quàm, ut lepidè Marc. Anton. Zimara in suo *theoremate de Petro Aponiensi* inquit, eos reconciliare, qui ex propria sententia volunt esse discordes. Perperam tamen ex hoc scriptorum dissidio, quis inferet. Ergo Christus non est natus, non est mortuus, seu crucifixus. Ingennè hic animadvertit Samuel Bânage in *Annal. Polit. Eccles.* quos latinè conscriptos in Batavia nuper evulgaverat, *Lib. 7. cap. 3. nm. 3.* Quodsi ad infringenda Patrum testimonia sufficiat obtendere eos in suis narrationibus hallucinatos, & in circumstantiis narratorum differentes, nunquam illos allegare oportebit, aut iisdem fidem adhibere. Quod

erroris aut deceptionis periculo obnoxii sunt, falsitatis suspectos, fideque indignos reddet. Sin antiquorum hac in re exiguus foret numerus, horum tanta non esset auctoritas. At non obstante circumstantiarum varietate in eo conveniunt, Petrum Romæ Martyrium subiisse. Hæc ille. Sanè in veteribus historicis nil est, quod tantopere desideretur, quàm Chronotaxis: & tamen res ab ipsis consignatas esse falsas ob metachronismum, nemo prudens suspicabitur. Metaphrastes in pluribus cespitat, illiusque in historicis non satis tuta fides: neque ea, quæ huc adducuntur, exploratæ sunt veritatis. Simon tempore Claudii Româ fugatus, à Nerone, magiæ dæmoniæ addictissimo, reductus, Romæ spectabilis fuit.

Itaque remotâ præjudiciorum nebulâ perspicuum redditur, quàm elumbis argumentis, frivolisque ratiunculis mustei quidam Scriptores rudi plebeculæ persuasionem insculpere conantur, quod Petrus nunquam Romæ fuerit: voluntque historiam rabulisticis constringere legibus, quarum nervus in eo consistit, ut veritatum certarum, sed quæ odiosæ sunt, & Religioni honorificæ, quam adversantur, probatio reddatur difficilis & suspecta, quia forensi legalitate non poterit demonstrari. Econtra apparet quàm irrefragabili Patrum conspirantium testimonio in quæstione facti, ubi aliàs nullo modo de veritate constare potest, firmerur, Petrum Romæ Evangelii sementa jecisse. Quod an Paulus antea præstiterit, non est hujus loci disputare. Veruntamen, ut veritati, quod suum est tribuatur, candidè fateri necesse est; non æquè certò constare, quot annis Petrus Romæ Cathedram à se ibidem stabilitam tenuerit. Siquidem non satis liquet, quo anno Apostolus ille primò in Urbem appulerit: quia nihil certi statui potest, quo anno, Judæâ relictâ, Antiochiam ipse tenderit, & quo Neronis anno gloriosam mor-

tem subiecit. Quæ, cum in eruditorum iudicio, varios calculos ineuntium, hodie dum valde agitentur, variisque difficultatibus involuta reperiuntur; res incerta manet, ut apertum quoddam videri posset. Arduam Eusebiana Chronologia invenit fidem, quæ Petro in Romana Sede anni 25. attribuuntur, postquam annis 7. Antiochenam rexerat Ecclesiam, quem proinde post Christi Passionem annis minimum 39. vixisse oportuisset, si ipsius ingressus in Urbem ad annum Christi 43. vel 44. ponatur. Notanda sunt autem, quæ in Eusebii Chronico, ubi anni 25. Petro in Romana Sede attribuuntur, in margine editionis Parisiensis leguntur. *Si Paulo credimus in Epist. ad Galat. hoc hic falsum erit. Post conversionem enim suam in Arabiam concessit, ubi tres peracti sunt anni. Post deinde 14. annos venit Ierosolymas ad Apostolos, ubi etiam Petrus. Præterea à Passione abierant menses prope duodecim usque ad conversionem Pauli; colliguntur igitur 18. anni; ubi hic sunt duntaxat undecim à Passione Christi.* Insuper hanc, quam cum Eusebio veterum multi, & cum Recentioribus plerisque tenent Baronius & Palatius sententiam, refellit celeberrimus Valesius in notis ad Eusebii Hist. Eccles. Lib. 2. cap. 16. ex actis Apostolorum, quibus manifestissimum dicit, Petrum in Judæa Syriaque usque ad annum ultimum Agrippæ Regis semper mansisse. Hic cum Petrum Ierosolymis in vincula coniecisset, paulò post, id referente Luca in citatis actis, subitanea morte interiit. Quia verò anno quarto Claudii, in plurimorum opinione, extinctus est, Petrum ante id tempus Romam venisse negant, cuius ingressum 7<sup>mo</sup> anno Claudii idem Valesius affigit. Rem magis perplexam reddit Lactantius, qui Libro de mortibus persecutorum ante annos paucos per Baluzium blattis erepto, scribit, cap. 2. *Cumque jam Nero imperaret Petrus Romam advenit; & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei*

faciebat, convertit multos ad iustitiam. Igitur si Petrus Romam advenit sub Nerone (sive id contigerit sub initio Regni, ut indubitanter volunt quidam eruditi, sive in fine) ergo antea sub Claudio non fuit ibidem; nisi geminatum quis Petri in Urbem adventum admittere velit: sicut tenuis admodum eorum conjectura; qui, hac Lactantii auctoritate pressi, Eusebiana Chronologia tenaciter adherere volunt; quique etiam duplex Petri cum Simone certamen initum ibidem admittere coguntur; quod à nullo quidem veterum litteris proditum reperitur. Neque minor est de Petri anno emortui inter Historicos discrepantia. S. Hieronymus in Chron. Eusebii anno Christi 69. eodemque Neronis ultimo, notat passum, quod Chronologia repugnat, in eorum etiam opinione, qui tyranni vitam ad hunc annum extendunt, utpote ante 29. Junii quo creditur Petrus illius iussu martyrizatus occisi. Verisimilius apparet, quod idem Lib. de Vir. Illust. sentit Apostolum anno Christi 67. crucifixum, quod etiam Baronius placet; quem Pagius corrigens, ex Scrip. Taciti atque Orolii biennio martyrium anticipat. In Catalogo Episcoporum Romanorum, qui Liberio putatur antiquior, per Bucherium Soc. Jesu evulgato, hic anno prævenitur; ubi Linus, Petri Successor, anno Christi 55. Neronis primo constituitur; nihilominus prædecessori anni 25. in Episcopatu assignantur, computando primum ab ascensione Christi, 30<sup>mo</sup> anno ætatis mortui. Equè minus certi sunt aliorum computus. Sic, quod ajunt, Trabs in omnibus. Unde autem ea de annis 25. per se communitè invaluerit, incertum manet. Ceterum Baluzii conjectura, si locum repererit, opinamentum hoc vulgare ortum traxit, eo, quod Apostoli, perhibente eodem Lactantio, annis ferè 25. usque ad principium Neronis per omnes Provincias ac civitates Ecclesiæ fundamenta jecerint: atque inde rotidem

totidem anni Petro adjudicati sunt à veteribus, quos Recentiores pœne omnes secuti sunt. Si fas esset, inquit vir in veterum scriptis versatissimus, recedere à vulgi, & in animis hominum insita opinione, ei Laetantium libenter præferrem: id est, Petrum Romæ prædicasse, non sub Tiberio Claudio, sed sub Nerone Claudio.

Porro licet incertus maneat annorum numerus, quibus Petrus, Romæ moratus, eisdem Ecclesiæ curam susceptam tenuerit: attamen Sedem Episcopalem ibidem fixisse, omnis ætas indubitanter credidit, constanter tradidit, & posteris nobis testatum reliquit: adeo ut dedecoris neglectum & litigii pruitum in illo observare debeamus; qui ob ratiunculas, stipulâ leviores, contrarium tueri vellet, & à communi opinione recedere; quod Pausanias *Lib. 3.* ait difficilimum. Quo tamen heteroclitus esse voluit citatus supra Annalium politico-Ecclesiasticorum Author, cujus hic Achilles in negatavis, ut aliàs passim consistit. Nimirum illud unum Episcopalem Petri Cathedralam evertit, quod in tota Scriptura nullum reperitur indicium, quod Petrus in Urbe Roma vestigium posuerit: etsi frequentissima sit Ecclesia, apud eam constituta, mentio. Ita pariter, si diis placet, ne dicam ejusdem Petri Antiochiæ: sed & Jacobi ruet Cathedra apud Hierosolymitanos: sic eversa Marci Cathedra apud Alexandrinos: sic demum eventilata aliorum Apostolorum in varia regna peregrinationes & prædicationes; eo quod in tota Sacra Scriptura nullum reperitur indicium de iis: actumque est de tota antiquitate, in cujus visceribus plura hujusmodi reperiuntur. Longum foret ite per singula Patrum Scripta, Petri Cathedralam testificantia. S. Irenæus, texendo Romanorum Pontificum Catalogum, primo loco ponit Petrum & Paulum. 2do Linum 3<sup>o</sup> Anacleum &c. S. Cyprianus non uno in loco Romanam Sedem Petri Cathedralam appellat.

Apud S. Athanasium in *Epist. ad Solit.* inter Liberii prædecessores S. Petrus nominatur. Eusebius disertis verbis Petri Episcopatum adstruit in *Chron. & Hist. Eccles.* S. Epiphanius *heresi 27.* in Catalogo Episcoporum Romanorum primo Petrum collocat. Similia habentur apud Hieronymum, Augustinum & passim alios veteres. Sed in re certissima pluribus testimoniis accumulandis superfedendum: in qua multum laborare cujusdam diffidentia solet esse indicium: scitè Laetius. Veritas multis verbis non eget. Voluntariè igitur cæcutientis illa est quæstio. *Nonne prodigio est, Si Petrus curas Ecclesia Romana titulo capessivit Episcopali, quod in Sede sua non reperitur ullo vestigio.* Utrique in Sede reperit vestigium S. Cyprianus, dum *Epist. 24.* scripsit. *Navigare audent ad Petri Cathedralam, atque ad Ecclesiam principalem; unde unitas Sacerdotalis exorta est.* Reperit S. Augustinus *Epist. 43.* olim 162, ubi ait Principatum Apostolicæ Cathedralæ semper in Romana Ecclesia viguisse. Expresit Prosper in *Carm. de ingratis*, in quo leguntur hi versus.

*Sedes Roma Petri, qua Pastoralis honoris  
Facta caput mundo, quidquid non possidet  
armis,  
Religione tenet.*

Alios quamplurimos in præsentiarum referre, ut dixi nimis longum. Nullum autem evidentius signum extat, quod Petrus Romæ fuerit, quam quod Episcopatum ibi capessiverit: & tamen præfatus Annalista Ecclesiastico - Politicus ad annum Domini 64. *nu. 9.* sic scribit. *Interea temporis Petrus, monente Deo, in Urbem se contulit. Neque ulla unquam traditio fuit, que majori testium cingatur numero, ut de Petri in Urbem adventu dubitari non possit, quin omnia historia fundamenta convellantur. Num. 10.* rationibus id ostendit congruis. *num. 11.* argumen-

ta Octo Frid. Spanheimii in contrarium resoluit. Quodli ergo de Petro in Urbem ingressu, de quo equidem nullum in Scriptura reperitur vestigium, dubitari nequit; quin omnia historię fundamenta convellantur; quomodo eadem in concussa manebunt; si eisdem Episcopatus Romani tam numerofo testium agmine cinctus, non tantum vocetur in dubium, sed perfricta fronte negetur? Solemne, oculis clausis denegare, qui non credunt factum esse, quod nolunt, ait S. Hieronymus in *Dial. adv. Luciferianos*. Paulò religiosior videri posset Antesignanus cœtus illius è Gallia profligati, quando *Lib. 4. Instit. cap. 6. §. 15.* profiteretur. *Propter scriptorum consensum non pugno, quia Petrus illic (Romæ) mortuus fuerit: sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi nequeo.* Quo saltem alicujus temporis spatio Episcopum fuisse persuasibile indicat. Et si tam hic, quàm illius a seclæ, ob scriptorum consensum Petrum Romæ fuisse persuasi sunt: etiam persuasi esse debent ob eundem consensum (nemo quippe eorum dissentit aut contradicit) Petrum fuisse Romæ Episcopum. Veruntamen multi in ea sorte hominum reperiuntur, qui, ut S. Augustinus *Lib. 10. Confess.* asserit, *non amant veritatem: sed hoc quod amant, volunt esse veritatem. Et quia falli nollent, nolunt convinci, quod falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nollent, & fallere volunt amant eam, cum se ipsam indicat, & oderunt eam, cum eos ipsos indicat.* Non mirum ergo, quod Joannes Calvinus oderit veritatem, quæ indicat, quàm fœda vertigine trochi in morem ejus mentem spiritus verticosus dimoverit, dum in *2. Petri 1. v. 14.* apertè negat, S. Petrum Romæ obiisse, imò in *1. Petri 5. v. 13.* erroris maculam ei inurit, qui Petrum Romæ unquam fuisse censuerit.

Instantia ejusdem supra citati Authotris tenui tibi sine fulta. *Cum nullo modo conseriat, ut reliquis Romæ presbyteris Petrus Orbis Regiones peragraret disseminandi Christi Evangelium, cuiusvis hæc est, ut creditum sibi gregem pascat, non ubique tumultuare sinat.* Quæ sanè paradoxa Didascalica Apostolorum cum Episcopatu pugnare ostendit novellus Doctor: cum tamen utriusque idem sit munus principale; scilicet prædicare Evangelium. Quæ quidem evangelizandi obligatio in Apostolatu amplioribus extenditur, in Episcopatu angustioribus restringitur limitibus. Petrus utrumque amplevit officium, dum Romanam ditigam, ejusdem limites necdum confectis sua prædicatione explicaret. *Qua ratione Roma civitas Sacerdotalis & regia, ut Leo Papa 1. Serm. in Natali Apostolorum loquitur, per Sacram Beati Petri Sedem effectivè præsideret religione divina, quam dominatione terrena.* Ridendus itaque, qui à Petro scrupulosè exigeret residentiam in Urbe, quem non oportebat in ipsa Metropoli sedere: sed & in alias regiones, Romano Imperio subjectas, excurrere imò cæteris quoque Ecclesiis, velut supremus omnium Pastor, sollicitè providere. Et cui utquam in mentem venit; Sanctos illos Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Hungariæ Apostolos pariter & Episcopos, etiam uni Sedes consecratos, semper residisse ibidem; & non potius lucem Evangelicam vicinis regionibus invexisse? Quod nimis curiosè quaeritur, cur Petrus potius Romanæ, quàm Joppæ Cæsariæve fuerit Episcopus; non magis ad rem facit, ac si quaeratur cur potius Paulus Romanis, quam Tarsensibus aut Cappadocibus Epistolam scripserit. Hoc demum divinandum relinquitur: ad prius tamen responderi potest cum citato S. Leone. *Hæc autem civitas ignorans suæ professionis Auctoritatem, cum pane omnibus dominaretur gentibus,*



his, omnium gentium serviebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Unde quantum erat per diabolum tenacius illegata, tantum per Christum est mirabilius absoluta. Denique Author, qui magnam efficaciam in suis solet collocare persuasionibus, urget & quaerit. Cur de Sede Religionis Christianae æquæ Sacra Scriptura commemorare non debuerit, quam de Mosaicæ disciplinæ Cathedra, Hierosolymis constituta. Sed præterquam, quod hæc præbeant alterius controversiæ, suscepto instituto non convenientis materiam, facile responderi potest. Quod Deus ille, qui populo gravi, & insipienti præcepta, quæ ipsa natura dictabat, observanda, velut digito suo in tabulis lapideis scripsit, non omnia per Scripturam præcipere voluerit populo acquisitionis, quæ ad Ecclesiæ gubernationem aut instructionem spectarent. Cur autem ita voluerit & noluerit, nemo divinabit. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Rom. cap. 17. Sufficiat homini Christiano, quod majores nostri agnoverint, docuerint, & tot sæculorum serie traditum sit, Petrum primum fuisse Romanum Episcopum. Quos omnes aut ex ignorantia fuisse deceptos, aut ex malitia polteris voluisse imponere; quis tandem sibi persuadere poterit? ô sortem miserandam! in simili exclamat Banagius, tot Authores gravissimi in falsam lapsi sunt opinionem, ac labentibus annis mille & centenis veritas ducens gemitus imo de pectore, expectasset gnathones paucos, qui eam luci restituerent & libertati, atque demum gartullisitis, Irenæo, Cypriano, Eusebio, Hieronymo Augustino Prospero &c. errorem detraherent.

Possent hæc quidem iis, quibus est acetum in pectore, ut de stomacholis scribit Plautus,

operosius, quam res ipsa exigebat, deducta videri. Nunc vero (verba sunt Hypponensis Præfulis, librum secundum de civitate Dei exordientis) Quoniam illa est major, & tætrior insipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus suos, etiam post rationem plenè reditam, quanta hominis ab homine debetur, sive nimia cecitate, qua nec aperta cernuntur, sive obstinatissima pervicacia, qua & ea, qua cernuntur, non feruntur, tanquam ipsam rationem veritatemque defendunt; sit necessitas copiosius dicendi: ut plerumque res claras, velut eas non spectantibus intueudas; sed quodammodo tangendas palpantibus & coniventibus offeramus.



R

CON-